

**A**rudine veētari solitū per fluctus, sed subita mox procella superueniente demersum. Idemq; Naupacti etiam accidisse, à Theophrasto est literarum monumentis datus. Admiratur Plutarchus tantam animalis istius humanitatē, siquidem non educatione, veluti canes & equi, non vlla alia necessitate, velut elephanti pantheraq; & leones ab hominibus liberati, sed genuino quodā affectu spontē sint humani generis amatores: ideoq; crocodilorū hostes infensissimi, propterea quòd crocodilus humano semper generi infidiatur, atque ita ipsa naturæ repugnantia inimicitias generat.

## N E Q V I T I A.

**P**Hyfognomici sanè lasciuos & petulantes eos in primis iudicāt, qui simum, vt Delphini, nasum habeant: proptereaq; Socrati nequitia, quam ex ipsa facie præ se ferret, vitio data est, quod ita se natura affectum inficias non iuit: cæterum se naturam continentia domuisse: id quod etiam Plato in Symposij sine multis argumentis testatum facere est aggressus.

## ADVLATORVM INFIDELITAS.

**N**on præteribo hęc, quòd Socion philosophus ait Delphinum adulatorem esse, qui ciborū reliquijs, quæ à nauigātibus affatim in mare projiciuntur, allecti comiterq; accepti saturatiq;, natates quandiu affatim vnda subest ac suppetit officiose comitantur, in siccum verò littus nunquam excedunt. Sic adulatōres, quandiu tranquillitas affulget, permanent, amicos in hoc vitæ cursu dum plana faciliaq; & prospera omnia sunt, adeunt, deducunt, colunt: cū verò scrupea difficiliaque acciderint, statim abscedunt: de quibus Horatius noster:

*At vulgus insidum et meretrix retro Periura cedit, diffugiunt cadis  
Cum face siccatis amici Ferre iugum pariter dolosi.*

## G I B B E R O S I.

**V**ulgò verò vsurpatum, vt gibberosos Delphini cognomento notemus. Et antiquissimus autor Pacuuius, animalia hæc incuruiceruicū pecus appellauit. Sed & gibba suum habet significatū, vt pote quæ futurorū indicium sit, vt apud Tranquillum aruspices Domitiani gibbam per somniū sibi accessisse vitam interpretati sunt. Et quoniam pars est prudentiæ, futura præuidere, gibberosos aiunt omnes astutos esse, multaq; pollere sagacitate.

## IMPVRI AMORIS SATIETAS.

**M**aximè verò mihi natura ipsa per Delphinū philosophari videtur, quem terra procul, adeò violentum, pernicem atq; agilem esse iusserit, eundem autem simulatq; terram attigerit, vix in arenam exceptū confestim emori: vnde dixerit Horatius de re maximè absurda, cōtraria, & sibi valde repugnāti, Pingit Delphinum in syluis. Ira impatiens est animal hoc terreni soli. Adagiū verò est in eos qui magnum aliquid polliciti, minimū præstiterint, *Δελφίνος ἐν χερσὶ βλά.* Quæ quidem eò spectat, vt cū amore ex Delphino significari ostēderimus, catenus amorem omnia virtutis experimenta præstare admoneamur, quatenus terra procul in alto sese exercet, & in sublime sæpius sese cœlum versus, marine vndæ purificatione expiatus, ac sereni tantum aëris affectator eiacular. Terra autem & animalia terræ addicta, vti serpentes, sues, & alia quædam, voluntariæ mollitudinis indicia sunt, tum ipsam rei veneræ spurcitiā innuūt, quò simulatq; Delphinis accefferit, statim expirat. Huiusmodi enim est impuri amoris cōditio, vt cū quis id, quod longo temporis interuallo appetierit studiosiusque ambiuerit, affectus est, in amādo deinceps flaccescere ac refrigerari videatur,